

Alte Drucke

Antiqvissima Theologia Positiva Primi Theologi, Adami Protoplasti, Juxta Revelationem Paradisiacam Jehovæ Elohim, Ex Genes. III. Per Dei Gratiam, ...

Deutschmann, Johann

Wittebergæ, [1694]

IN HONOREM ET GLORIAM HOSPITIS, ET DOMINI PENTECOSTALIS!

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

urn:nbn:de:gbv:ha33-1-174445

IN HONOREM ET GLORIAM
HOSPITIS, ET DOMINI
PENTECOSTALIS!

RECTOR

ACADEMIÆ WITTENBERGENSIS,
MICHAEL *Strauch* /
SUPERIORUM MATHEMA-
TUM PROFESSOR PUBLICUS,

DIEM
PENTECOSTALEM
PRIMUM, ET PRIMITIVUM,
VEREQVE
PARADISIACUM,

IN MYSTERIIS PENTECOSTALIBUS,
IN BENEFICIIS PENTECOSTALIBUS, ET
IN PRIVILEGIIS PENTECOSTALIBUS,
PROTOPLASTIS ET OMNIBUS POSTERIS

MAXIME CONSPICUUM,
GRATIOSE PROFICUUM, ET
GLORIOSE MAJESTATICUM,

AD FRUCTUOSAS MEDITATIONES PENTECOSTALES,
HODIERNA SOLENNITATE,

CIVIBUS UNIVERSITATIS
OMNIBUS, ET SINGULIS,
PROFERT ET OFFERT!

Kkkk

IN



IN NOMINE SANCTI SPIRITUS,
HOSPITIS, ET DOMINI PENTE-
COSTALIS!



*H*æc est Dies, quam fecit Dominus, exultemus, & letemur in ea! Intonat Psalter Regius, Spiritu Sancto plenus. Jubilus hic offertur festivalis, si verba, quoad statum, & usum generalem respicimus, cum generalis sit omnium Festorum Religiosorum intonatio! Jubilus vere passionalis, si pias meditationes ad textus antecedentia convertimus, dum in Messia Militia Passionis, & Mortis salutiferæ, multis à Davide celebratur, v. 5. seqq. Jubilus præterea Paschalis est, dum Victoria Messie triumphalis pluribus, per vaticum Psalter, exaggeratur, v. 14. seqq. Jubilus denique Pentecostalis est, dum, in Festi Pentecostalis gloriam, anima fidelis cum Davide Magnalia Pentecostalia plurimis admiratur, & religiosa devotione veneratur. Hæc est Dies, quam fecit Spiritus Sanctus Dominus, exultemus, & letemur in ea! Nam Dies Pentecostalis affert Magnalia Pentecostalis Benedictionis, v. 26. dum fide Pentecostali plenus David inquit, v. 26. Benedictus, qui venit in Nomine Domini! Benedicimus vobis, ex Spiritus Sancti felicissimis auspiciis, de Domo Domini! Dies Pentecostalis affert Magnalia Pentecostalis illuminationis, dum Regum illuminatissimus pergit, v. 27. Deus Dominus, & ILLUXIT nobis, alligate diem solennem incensens, usque ad cornu altaris! Dies Pentecostalis affert denique

nique *Magnalia Pentecostalis Confessionis*, v. 28. 29. *Deus meus es tu, & CONFITEBOR Tibi: Deus meus es tu, & exalabo te: CONFITEMINI Domino, quoniam bonus, quoniam in seculum misericordia ejus!* *Dies Pentecostalis* in Ecclesia Christianorum, est *Primus* antiquitate, *Maximus* sublimitate, *Optimus* utilitate, fructuumque saluberrimorum ubertate! *Dies Pentecostalis* omni jure *Festum Festorum* dicitur, quo sine nec Ecclesia Christianorum *Festum* ullum haberet, nec ullum celebrare posset. *Nemo sine Spiritu Sancto Jesum*, qui Fons, & fluvius, & Mare, *Festorum omnium*, appellare potest *Dominum*, 1. Cor. XII. 3. multo minus *Festum* aliquod vel intimare, vel celebrare valet. *Spiritus Sanctus* est omnium *Festorum Autor*, omnium *Festorum Stator*, atque *Conservator*, omnium *Festorum Praeses*, atque *Gubernator*! Hic & Ecclesia dicitur *Antistes*, & omnium *Festorum Ecclesiasticorum Antistes*. *Divisiones donorum*, vel *gratiarum*, in Ecclesia sunt, idem autem *Spiritus*, inquit Gentium *Apostolus*, vas insigne *Spiritus Sancti*, *Divisiones ministracionum sunt*, idem autem *Dominus*, v. 5. *Divisiones operationum sunt*, idem verò *Deus*, qui operatur in omnibus omnia, v. 6. *Testis* est *Dies Pentecostalis Primus Novi Testamenti*, qui maxima cum solennitate desideratissimis in auspiciis sub admirando *Spiritus Sancti Directorio* fuit ab *Apostolis*, futuris Ecclesia totius *Oecumenicæ Doctoribus*, est celebratus. *Testis* etiam *Dies Pentecostalis Primus Veteris Testamenti*, qui, felicissimis auspiciis, summa cum solennitate, sub venerabili *Spiritus Sancti*, vel *Diei, Præsidio*, fuit à *Protoplastis*, futuris totius humani generis *satoribus*, & *Doctoribus*, in ipso *Paradiso*, pulcherrimo *Visibilis Ecclesia typo*, statim post lapsum, & factum *Messia Redemptoris* promissum, ab ipso *Spiritu Diei*, solenniter inchoatus. Et certe si *Festum Pentecostale Paradisiacum* debitis encomiis ornare, vel respectu *Causarum*, & *Circumstantiarum*, juxta *Paradisiacam Historiam*, plenius exornare vellemus, neque *dies*, neque *septimana*, nec *annus*, arcanis *Pentecostalibus* enarrandis, nedum explicandis, sufficeret, neque vastissimus *liber* omnia dicenda caperet. Hic autem, dum *Festivale Programmata* scribimus, vela contrahenda

Kkkk 2

sunt,

sunt, & ad pauca saltem capita, breviter exhibenda, *Mysterio-*
rum impenetrabilis abyssus deducenda. *Diem Pentecostalem* hic
 sistimus, & secundum *Gratiam Pentecostalis mensuram*, eum in fide
 conspiciamus, & adspiciamus. *Dies* hic à creatione non *primus*,
 neq; *secundus*, neq; *tertius*: sed *alius*, Deo potissimū, & Homini-
 bus *proprius* intelligitur: numero quidem in textu sacro non com-
 putatur, *arcanis* tamen regni coelorum consecratur, & desti-
 natur: non, est *dies vulgaris*, sed *singularis*, non, quoad *cursum*
solis externi, mere *naturalis*, sed, quoad *ortum*, & *cursum Solis e-*
terni, vere *supernaturalis*: *Jehova Elobim* vices *Solis* hac in die,
 suscipit, & omnia momenta lucidissima facit, ut jamjam pate-
 bit. *Pentecostalis* est *dies*, non *Creatoris*, sed *Spiritus Sanctifica-*
toris, non in *dierum ordine*, quo *Pentecostalis* dies quinquage-
 gesimus esse dicitur, sed in *objectorum admirandorum lumine*,
 quo splendent vera *Mysteria*, mera *Beneficia*, sincera *Privilegia*
Pentecostalia. *Primus* est *dies Pentecostalis*, qui nullum alium
 ante se vidit *Pentecostalem*, numerum, & ordinem cuncto-
 rum *dierum Pentecostaliū* incipit, & omnes alios *dies* *Pente-*
costales, tam *Novi*, quam *Veteris*, Testamenti post se requi-
 rit. Est denique *Paradisiacus Dies Pentecostalis*, qui vere divi-
 nitus in *Paradiso* manifestatus, omnibus aliis *Diebus Pente-*
costalibus extra paradisum, loco *fundamenti*, substratus, solus
Paradiso terrestri dedicatus, variis autem, & anniversariis Fe-
 stis *Pentecostalibus*, in *Paradiso spirituali*, qui dicitur *Ecclesia*
militans, ab ipso Deo præordinatus, immediate civibus tum
paradisiacis, nostris *protoplastis*, consecratus, post cunctis etiam
peccatoribus posteris, pœnitentibus studiosis, & genuinis *Penteco-*
stalibus discipulis, divino consilio destinatus. Hic *dies primus*
Pentecostalis, vereque *Paradisiacus*, citra dubium omnium re-
 cte credentium, & recte considerantium iudicio, reipsa talis
 est. Plenus etenim hic *Dies* est *Pentecostalibus* *Mysteriis*, pleni-
 or *Pentecostalibus* *Beneficiis*, & plenissimus *Pentecostalibus* *Privi-*
legiis. O altitudo, cum Paulo nunc exclamare debemus, *Rom.*
XI. 33. *divitiarum Sapientia*, & *Scientia Dei*, ô multitudo revela-
 tionis divinæ, ô Magnitudo cognitionis salutiferæ! quam in-

comprehensibilia sunt judicia ejus, & investigabiles via ejus? Incomprehensibilia certe sunt judicia Pentecostalia! Nam sunt judicia non legis, sed Evangelii, non justitiae, sed misericordiae, non irae, sed Gratiae! Legis malitiosus transgressor adest, qui legem in conspectu justissimi Legislatoris violat, ejusque praecepta pedibus conculcat; qui turpissima quadam apostasia Deum Autorem, & Benefactorem, repudiat, & fraudulentum seductorem, Dei juratum hostem, in Dominum suum cooptat, ac pulcherrimam imaginem Dei, sibi concreatam, in abominabilem, Diaboli larvam commutat. Tantus, & talis peccator, nulla, venia, nulla misericordia dignus omni jure videbatur. Sed judicia Pentecostalia per, & propter interventionem Mediatoris, $\alpha\iota\kappa\epsilon\lambda\theta\omicron\upsilon\sigma\iota\omicron\nu$ in $\Pi\alpha\tau\epsilon\rho\varsigma$, justum judicem, in misericordissimum Patrem, iratum Vindicem, in placatum, & benevolum, Evergetam permutant! Quam incomprehensibilia sunt haec judicia! Sed quam investigabiles sunt viae pentecostales! Discedit Deus propter hominis culpam, sed recedit propter suam gratiam, propter legem procedere debebat ad poenam, sed propter Evangelium accedit ad Evergesiam, propter Satanam hominem repellebat, propter Messiam ad se, per verbum vocationis, retrahebat. Peccatoribus via ad infernum, via fit ad caelum, via fuga, via reversionis gratiosa, via peccati, via fidei, via condemnationis, via salvationis, via Spiritus maligni, via Spiritus Benigni. Sed quis exoptatissimas hasce viarum Pentecostalium classes omnes investigare, vel mente concipere, vel ore proponere posset? Nos potius praesens institutum ad manus sumimus, & brevissima de Viis Mysteriorum Pentecostalium, de viis Beneficiorum Pentecostalium, de Viis Pentecostalium Privilegiorum, juxta textum paradisiacum, verba facimus, ac in iis nostras animas, mentes, & corda, deliciis verè Pentecostalibus, ex donatione Domini Pentecostalia, Spiritus Sancti, in ipsius Honorem, & nostram Salutem, ad satietatem pascimus. Sicigitur Dies Pentecostalis Primus, atque Paradisiacus, nobis offert Vias Pentecostalium Mysteriorum, ut per fiduciam Christianam in his semper, cum primis in Festis Pentecostalibus, ambulemus. Inter haec mysteria,

quorū ingens in *Historia Pentecostes paradisiace* datur multitudo, classem ducit *Jehova Elohim*, Deus *Pater*, *Filius*, & *Spiritus Sanctus*. Hic enim *Alpha*, & *Omega*, fons, & scaturigo *Mysteriorum* omnium, & ita quoque *Pentecostali*um. In paradiso nullus alius *Autor Festi Pentecostalis* conspicitur, nullus alius *Dector Pentecostalis* auditur, nullus alius *Mysteriorum Pentecostali*um *Revelator* deprehenditur, & sic in *Ecclesia Protoplastorum*, nullus alius recipitur, & creditur *Dominus Pentecostalis*, quam *Jehova Elohim*, *Elohim Pater*, ex paterna misericordia statim post lapsum est obambulans, & in loco delicti peccatores lapsos investigans: *Elohim Filius*, ut *Vox resonans*, *Verbum* pradicans, & *Evangelizans*, est conciones pentecostales revelans, atq; publicans: *Elohim Spiritus*, ut *Spiritus dei*, meram gratiam spirans, veram gratiæ, salutisque diem formans, excucatos peccatores illuminans, verbum lucis applicans, per verbum sinceram fidem generans, ipsaque fide necessaria, *Mysteria Pentecostalia* cordibus *Protoplastorum* communicans, & in ipso paradiso primam *Pentecostalem Ecclesiam* congregans. Hoc veræ *Deitatis*, Sanctæque *Trinitatis* *Mysterium*, etiam in *Festo Pentecostali* *Novi Testamenti* *primarium* dicitur, *Christianorum* *Mysterium*. *Testes* ejus rei sunt *Evangelici Textus*, qui singulis diebus *Festivalibus* in *Ecclesia* proponuntur, & exponuntur, interprete *Christo Salvatore*, tum quoad *primæ Festivitatis Evangelium*, *Joh. XIV. 23.* *Si quis diligit me*, (juxta *Patris* voluntatem, docente *Spiritu Sancto*, tanquam *Spiritu dilectionis*, cujus dilectio fructus est, *Gal. V. 22.*) *sermonem meum servabit*, & *Pater meus diligit eum*, & *ad eum veniemus*, (nim. *Pater*, *Ego*, cum *Spiritu Sancto*,) & *mansionem apud ipsum faciemus*, v. 26. *Paracletus Spiritus Sanctus*, quem *PATER* mittet in *NOMINE* *MEO*, ille vos docebit omnia. His in verbis *Mysterium Trinitatis* non una vice proponitur, & meditationibus *Pentecostalibus* objicitur: Tum quoad *Secundæ Festivitatis Evangelium*, *Joh. III. 16.* *Sic Deus (Pater) dilexit mundum*, ut *FILIUM SUUM UNIGENITUM* daret, ut (operante *Spiritu Sancto*, tanquam *Fidei Spiritu*, *II. Cor. IV. 13.*) omnis, qui

credit in ipsum, non pereat, sed vitam eternam habeat. v. 17. Non enim misit Deus (Pater) FILIUM in mundum, ut iudicet mundum, sed ut salvetur mundus per ipsum: v. 18. Qui (per operationem Spiritus Sancti) credit in eum, non iudicatur: tum quoad tertia Festivitatis Evangelium, Job. X. 1. seqq. ubi Deo PATRI, ceu Patrifamilias tribuuntur oves spirituales, & mysticum ovile: sed ostium est ipse Christus, vel Patris FILIUS, v. 7. Amen, Amen, dico vobis; quia Ego sum Ostium Ovium, vel spiritualis Ovilis. Ostiarius vero dicitur Spiritus Sanctus, dum v. 3. hic Ostiarius Ministerialibus pastoribus ostium aperit, ut ingredi, & egredi queant ad oves pascendas, quo pascua inveniant, v. 9. imo vitam, & omnem abundantiam, atque sufficientiam, habeant, v. 10. Sic etiam ex Epistolis Festivalibus, Act. II. 1. seqq. c. X. v. 42. c. IX. 14. seqq. Ecclesia Christianorum Mysterium Trinitatis meditatur, & veneratur, quod prolixè notari, vel demonstrari posset, nisi res omnis in vado versaretur. Festum autem Pentecostale peculiari quadam ratione Spiritui Sancto proprium est, & ea de causa Mysteria Spiritus in eo potissimum attendenda. Si prolixius præsentes meditationes Pentecostales persequi possemus, & Spiritus Sancti præsentiā, vel Existentiā, & ipsius divinam Essentiā, & distinctā personalem Subsistentiā, & multiplicem pentecostalem energiam, in Spiritu Dei, qui protoplastis manifestatus, multis demonstrare paratissimum foret. Sufficiat modo mirabilis, verèq; pentecostalis Apparitio. Nam Act. II. 1. seqq. legimus, quod ita Dies Pentecostalis suum complementum acceperit à Spiritu Sancto, cum Apostoli, juxta Christi præceptum, unanimiter essent in uno loco, Spiritusque Christi promissum expectarent, ut factus sic repente de caelo sonus, tanquam advenientis Spiritus, seu venti vehementis, & repleverit totam domum, ubi sedentes erant; & apparuerint illis dispersa lingua, tanquam ignis, sed eritque super singulos eorum. Sic igitur symbola, seu vehicula Sancti Spiritus, tempore Pentecostes Nov. Test. Ventus, seu Spiritus, & Dei lux, vel Ignis. O quanta latent in signis, & involucris fatis arcana, quæ nunc adducere minimè licet! Nec alia, primo

primo, vel *Paradisiaco Festo Pentecostali*, *Spiritus Sanctus signa*, vel *symbola*, coram *Protoplastis* adhibere voluit, quia tanquam **רוח ה' Spiritus**, seu *ventus*, & quidem *diei*, five *lucis*, & *ignis*, apparuit. O venerabilem *evidentiam*! ô admirabilem *harmoniam*! Nec ovum ovo similis esse videtur, quam *Pentecoste Veteris Testamenti* *Magno Festo Pentecostali Novi Testamenti* consentit. Sic omnino *Spiritus* semper *idem*, semper *idem Ventus*, semper *idem ignis*, semper *eadem Dies*! semper *eadem revelatio*, semper *eadem fides*, & *cognitio*, semper *idem honor*, & *confessio*, vel *glorificatio*! *Spiritus* etiam, hic, dum in omnibus omnia semper operari perhibetur, I. Cor. XII. 6. nostris protoplastis, primis *Pentecostalibus Discipulis*, vel *Auditoribus*, & semetipsum, & *Symbolorum Pentecostali* statum, ac usum, vere manifestavit, & ea, quæ necessaria videbantur, ad fidei, salutisqve sufficientiam, efficaciter applicavit. Sunt & alia, quæ *Pentecostalem solennitatem* & formant, & ornant, *Mysteria*, quæ sua pariter in *Paradisiaco Festo* locum, & laudem merentur. *Mysterium Pentecostali revelationis Spiritui Sancto proprium*, qui *Spiritus sapientie*, & *revelationis* est in *agnitionem Dei*, Eph. I. 17. siquidem scrutatur τὰ βόθρὰ Θεοῦ, *Profunditates Dei*, regniqve cælorum, & nobis revelat, I. Cor. II. 10. Nostris *Protoplastis* in *prima Pentecoste* vere fuit *Spiritus revelationis*, dum *animales post lapsum* fuerunt *homines*, qui nihil ejus, quod est *Spiritus*, perceperunt, aut sine *revelatione* percipere potuerunt, I. Cor. II. 14. *Mysterium Pentecostali illuminationis* *revelationem* sequitur, dum *revelatio* fit per *Dei verbum*, quod est *lucerna pedibus nostris*, & *lumen semitis nostris*, Psal. CXIX. 105. *Lucerna splendens in locis caliginosis*, II. Petr. I. 19. qualia sunt *mentes*, & *corda peccatorum*, qui cum *gentilibus ambulat in vanitate sensus sui*, *tenebris obscuratum habentes intellectum*, alienati à *vita Dei* per *ignorantiam*, quæ est in illis propter *cæcitatem cordis ipsorum*, Eph. IV. 18. Tales *excæcati nostri Protoplasti* fuerunt, propterea post lapsum à *Spiritu Diei* statim illuminati sunt, & cum *Paulo* dicere potuerunt, Eph. V. 8. *Eramus aliquando tenebrae, sed nunc lux sumus in Pentecostali Do-*

minio:

mino: deferimus tenebras arborum, & expetimus lucem Myſte-
riorum: recedimus à regno tenebrarum, & accedimus ad re-
gnum lucis: dimittimus principem tenebrarum, & ad Spiritum
lucis, vel dici Pentecoſtali nos recipimus, & ſcholam myſtica lucis, &
illuminationis, reſpicimus. Myſterium Pentecoſtalis illuminationis
excipit Myſterium Pentecoſtali prædicationis, dum Spiritus Sancti
gratia neſcit tarda molimina, ſed mentes, & linguas ita confectim
reddit illuminatas, ut mentes ad lucidas meditationes, lingua pariter
ad illuſtres prædicationes paratiſſimæ ſint. Teſtes ſunt Apoſtoli, Do-
ctores Pentecoſtales Oecumennici, quibus ventus vehementior ignem
Pentecoſtalem ſpirabat, & ignis mentes, & linguas pentecoſtales il-
luminabat, ut, Spiritu Sancto repleti, ſtatim variis linguis loqui ſu-
ſciperent, prout Spiritus Sanctus ipsis dabat eloqui. Prædicarunt
Necphyti Pentecoſtales Pracones Magnalia Pentecoſtalia ſummo cū
ſtupore Gentium omnium, ſicut Lucas, infallibilis Hiſtoricus, refert
Act. II. 6. Confuſa eſt multitudo, quoniam audiebat unusquisque lin-
gua ſua eos loquentes, v. 7. Stupebant autem omnes, & mirabantur di-
centes: Nonne, Ecce omnes iſti, qui loquuntur, Galilei ſunt? Et quomo-
do nos audimus unusquisque linguam noſtram, in qua nati ſumus, Par-
thi, & Medi, & Elamitæ, & qui habitant Meſopotamiam, Judæam, &
Cappadociam, Pontum, & Aſiam, Phrygiam, & Pamphyliam, Egyptum,
& partes Lybiæ, quæ eſt circa Cyrenem, & advena Romani, Judæi quoque,
& Proſelyti, Cretes, & Arabes, audimus nos loquentes noſtris linguis
Magnalia Dei. O quanta Magnalia! ô quam admirabilia Magnalia!
ô quam venerabilia Magnalia! Inter alias Pentecoſtales Prædicationes
illaſtris eſt Concio Petrina, v. 14. ad 36. quam tamen hic adſcri-
bere nolumus. Myſterium Pentecoſtalis prædicationis in Paradifiaca
Pentecoſte non abſuit. Non homines, non Angeli, non aliæ creaturae,
ſed ipſe Jehova Elobim Myſterium prædicationis primum manife-
ſtavit, primum uſurpavit, primum ad ſalutem hominum deſtinavit,
quia gratioſa voluntas hæc ipſi fuit ab æterno, per ſtultitiam prædi-
cationis ſalvos facere credentes, I. Cor. I. 23. ubi Paulus peculiare Be-
neplacitum in hoc prædicationis inſtituto notat, inquiens: PLACUIT
DEO per ſtultitiam prædicationis ſalvos facere credentes. Pater, juxta
beneplacitum ſuum, in paradifo de ambulans, & lapſos peccatores
indagans, fit Præco Pentecoſtalis, Filius Verbum, & Orator Patris, Vox
eſt

est sonans, & ad Ecclesiam, ac in Ecclesia resonans fit *Propheta principalis*, & *Predicator Pentecostalis*, *Spiritus Sanctus*, ut *Spiritus Dei* *Gratia* spirat, adspirat, inspirat mera Pentecostes *Magnalia*, perque lucē ejus accipiunt, & intelligunt omnia *Protoplasti salutis Mytheria*, peccatoribus competentia, miseris lapsis sufficientia. O *Præclaram*, & *salutiferam Prædicationem Pentecostalem*! *Mysterium Doctrinalia* *professionis*, & *spiritualis Confessionis* proximum à *Prædicatione Pentecostali* locum sibi postulat. Adest in *Festo Pentecostali*, *Spiritus Sancti locutio*, vel *elocutio*, quia *Spiritus Sanctus* dabat *Apostolis Magnalia Pentecostes eloqui*, qua de causa statim *Apostoli* fiunt *doctrina Christiana Professores*, & *spirituales Christi confessores*. Sicut corde credunt ad justiciam, ita pariter ore faciunt *Confessionem ad salutem*, *Rom. X. 10.* Nec aliud quid in *primitivo Pentecostali Festo* *Paradisi* contigit. *Jehova Elobim* erat *Præco*, vel *Concionator Pentecostalis*, sed *Adam* per *illuminationem*, *motionem*, & *gubernationem Spiritus Dei* mox fiebat *Confessor spiritualis*: *Dei Spiritus*, *mentem*, & *linguam* ejus *illuminabat*, & *verba vitæ* *communicabat*; ceu *Spiritus* autem, & *ventus*, *cor*, ad *os* ejus, ad *confessionem Pentecostalem*, *motitabat*, ejusque *Confessio* nihil aliud sonabat, quam *vitam*, *vitam à Jehova Elobim*, *Deo Patre*, *vitam in Jehova Elobim*, *Semine Mulieris*, *vitæ spiritualis*, & *cælestis unico parario*, vel *Promo Condo*, *vitam per Dominum*, vid. ipsum *Spiritum Sanctum*, qui *principalis est vitæ Pentecostalis Oeconomus*, & peccatoribus *spiritualiter* *mortuis* per *verbum* *efficaciter* *accommodat*. Nec *ablimili modo Petrus*, cum suis *Collegis*, *Confessores Vitæ Pentecostalis* *extiterunt*, *suaque confessione plurimos* ad *veram conversionem*, & *fidem*, *duce Spiritu Sancto*, *Pentecostali Domino*, *commoverunt*, ita quidem ut *unica Pentecostali Coneione*, *brevique Christi*, seu *Vitæ confessione*, *tria millia peccatorum* *veram* *confessionem Pentecostalem* per *Spiritus S. gratiam* *acceperunt*. *Cardinalia* vero *Pentecostalia Mytheria* sunt *Mytheria Messia*, sunt *Mytheria Spiritus Sancti*, quemadmodum *Petrus* in *Augusto Festo Pentecostali primo*, per *totam suam Concionem* *accurate demonstravit*, & *ohservavit*. Primum enim suis *Auditoribus* de *Mirabili Spiritus effusione*, *donorumq; distributione*, *solennia verba* facit, *v. 14. 21.* postea *v. Mytheria Christi* *persequitur*, & ad *passionem*, *mortem*, *resurrectionem*, *adscensionem*, & *gloriosam à dextris Dei sessionem*

tionem digreditur. Hæc vere præcipua sunt, & principalia Pentecostes Mysteria, quæ rectissime cardinalia dicuntur, in quibus omnis cardo fidei, vitæq; Christiana vertitur. Et hæc etiam erant Protoplastorum Mysteria Pentecostalia. Messiam, ut Vocem sonantem, audiebant, Spiritum Dei, ceu Ventum spirantem, & illuminantem sentiebant, uterque fiebat ipsis *Thesaurus cordium penitentialis*, & *Pentecostalis*: Messias erat Redemptor, Spiritus Sanctus verus Sanctificator, Messias reparator, Spiritus applicator, Messias pro peccatis satisfaciebat, Spiritus satisfactionem per verbum offerebat, Messias merita præstabat, Spiritus dona Pentecostalia multiplicabat, Messias fidei Pentecostalis objectum fiebat, Spiritus Sanctus ipsam fidem in peccatoribus efficiebat. Sed quis brevi tempore, vel etiam sermone, cuncta Messie, Spiritusq; Sancti Mysteria Pentecostalia, Protoplastis exhibita, recitaret, nedum explicaret! Superant illa numerum, superant nostræ mentis captum, superant omnem linguæ, vel sermonis actum! Nec desunt Pentecostes in Historia Protoplastorum, alia fidei, salutisq; Mysteria! Quam late patet fides Christiana, vel universa Theologia, tam late patet Pentecostes Paradisiaca Materia! Spiritus Sanctus, Dominus Pentecostalis, est Spiritus Veritatis, Spiritus divina Veritatis, Spiritus salutifera Veritatis, qui docet omnia, qui suggerit omnia, Joh. XIV. 26. Spiritus omnis testimonii veritatis, c. XV. 26. & ducit in omnem veritatem, c. XVI. 13. Hic etiam, tanquam Spiritus Veritatis, Protoplastis in primo Festo Pentecostali docuit omnem veritatem salutiferam, & duxit eos, tanquam Dei Spiritus, in omnem Gratia, Gloriæq; Veritatem! Sed quo plura Mysteria Pentecostalia, juxta Paradisiacam revelationem, colligimus, eo plura, Duce Spiritu Sancto, juxta textus admirabilem abundantiam, colligenda conspiciamus. Ingressi sumus Viam Mysteriorum Pentecostalium Adamicam, & hucusq; sub Hodegeta Pentecostali laudatissimo pergressi sumus in hac viâ, sed egressum nobis promittere nullatenus possumus, Filum igitur abruptimus, & festivalis Programmatidis limites non translimus. Sed quid circa Viam Pentecostalium Beneficiorum in Historia Protoplastorum, quoad divitias inæstimabiles textus admirabilis tentare debemus? Tacere forsitan præstaret, quam pro multis, imò plurimis, & innumerabilibus paucis, pro summis inæ, pro divinis humana, pro donis inæstimabilibus ver-

ba non

*ba non aestimanda proferre. Totus mundus, Totum potentia Regni,
 Caelum, & terra, quicquid totum universum complectitur bonorum,
 illud omne Protoplastis Pentecostale fuit Beneficium. Nisi Spiritus
 Dei venisset, & Diem Pentecostalem attulisset, Mundus peccatori fu-
 isset infernus, omnis creatura Creatoris hostibus, & criminis lese di-
 vine Majestati reis inimica: Mala gravissima talibus Apostatis intulisset,
 nihil honorum illis attulisset. Sed Spiritus Sancti Pentecostalis adventus
 omnium bonorum regni potentie largissimus proventus. Spiritus
 Pentecostalis, Creatoris rebellis, mundi totius extorris, per Spiritus
 gratiam fit novus mundi civis, dum in Christo reconciliata sunt omnia,
 quae sunt in Caelis, & in terris, Col. I. 20. cujus reconciliationis, & resti-
 tutionis Testis, & Antistes, est Pentecostalis Dominus. O diem Pente-
 costale Protoplastis exoptatissimum, in quo cuncta mala peccatori-
 bus mutata sunt in bona, supplicia creaturarum in Beneficia. Sed lon-
 ge majora dies Pentecostalis primus Adam, & Eve, cunctisque; poste-
 ris attulit beneficia, quoad Regnum Gratiae! Quis autem haec enarra-
 re, vel explicare posset? Totus textus Paradisiacus thesaurus est be-
 neficiorum Pentecostaliū. Hic mens obstupescit, lingua prorsus ob-
 rigescit, numerum beneficiorum nescit, nec ullum eloquendi, vel ex-
 ponendi modum capeffit. Mirari, non rimari hic sapientia vera. Ni-
 hil nunc dicemus de Regno Glorie, quod propria sedes est Privilegio-
 rum Pentecostaliū, quae tamen nec oculus vidit, nec auris audivit,
 nec in cor hominis descendit, quae, qualia sint, & quanta Regni caelorum
 Privilegia, I. Cor. II. 9. Sed quid de Via Pentecostaliū Privilegiorum
 Dies Primus Pentecostalis Protoplastis attulit. Tot certe Pentecosta-
 lia sunt in Textu Paradisiaco Privilegia, ut captum omnem, numerum
 omnem, omne pariter aestimium, longissime transcendunt! Integer
 Commentarius his non sufficeret, Programmaticis brevitatis illa nec ca-
 pere, nec tradere valet. Nos a. inde cernimus, qualia sint, & quanta
 nobis parata statim temporibus Protoplastorum in Festo Pentecostali
 Mysteria, Beneficia, Privilegia, quae nobis mera pariunt gaudia! Re-
 perimus igitur illud Davidicum: Hac est dies, quam fecit Dominus;
 Exultemus, & letemur in ea! O Nostri cogitate Magnalia Pentecostalia,
 frequentate Tempora, horum promtuaria, honorate Divinorum Le-
 gatorum, & Oeconomorum Collegia, veraeque gratitudinis munera No-
 biscum illis parate! Dedit Maxima Vobis hoc Festo Deus, date Minima
 Vos Ejus Ministris! P. P. Wittch. in Vigil. Pentecost. A. c. 1790 XCIV.*